



**I**ohannes in Pomerania honesta familia natus, & in omni genere literarum educatus fuit. Ut autem commodius pietati incumberet, sese monachorum ordini coniunxit, & eam uitæ cōditionem Lutheri monitu reliquit. Postea sese Vuitebergam contulit, & tanta diligentia libris sacris incubuit, ut omnium consensu Theologiæ Doct̃or crearetur. Erat insuper pietati deditissimus, & singulari facundia ornatus. Itaq; factum ut anno 1520 Vuitebergen sis pastor electus fuerit. Eam functionē is per multos annos optimè administravit, & Euangelij doctrinam plurimūm promouit. Cum etiam in Cœnæ negotio cōtrouersia cum superioris Germaniæ Theologis exorta esset, sua māsuetudine effecit, ut Bucerus, Musculus, & Frechius 1536 Vuitebergæ Lutheri sentētiæ ferè subscripserint. Postea à rege Christiano Friderici filio in Daniam uocatus est, ut Euangelicæ doctrinæ initia faceret. Ibi is Ecclesias instituit, & 1538 regem inaugurauit. Cum etiam Iohannes Pomeraniæ Episcopus eligeretur, ipse eam dignitatem recusauit, & sua sorte contentus fuit. Inde Smalkaldiam à Protestantibus euocatur anno 1540, ut cū reliquis Theologis religionis formam conscriberet, & instanti Concilio offerret. Erat hisce actionibus Ioannes ob rerum usum principibus gratissimus.